

Sommersemester 2010

Prof. Dr. Markus Janka

Vorlesung: Livius – Annalist und Erzähler unter Augustus

Klausurrelevante Originaltexte:

1. Livius' *praefatio* zum Gesamtwerk

- (1) *facturusne operaे pretium sim si a primordio urbis res populi Romani perscripserim nec satis scio nec, si sciam, dicere ausim,*
- (2) *quippe qui cum ueterem tum uolgatam esse rem uideam, dum noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid allatueros se aut scribendi arte rudem uetustatem superatueros credunt.*
- (3) *utcumque erit, iuuabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro uirili parte et ipsum consuluisse; et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuero sit, nobilitate ac magnitudine eorum me qui nomini officient meo consoler.*
- (4) *res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur et quae ab exiguis profecta initis eo creuerit ut iam magnitudine laboret sua; et legentium plerisque haud dubito quin primae origines proximaque originibus minus praebitura uoluptatis sint, festinantibus ad haec noua quibus iam pridem praeualantis populi uires se ipsae conficiunt:*
- (5) *ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum quae nostra tot per annos uidit aetas, tantisper certe dum prisca [tota] illa mente repeto, auertam, omnis expers curae quae scribentis animum, etsi non flectere a uero, sollicitum tamen efficere posset.*
- (6) *quae ante conditam condendamue urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est.*
- (7) *datur haec uenia antiquitati ut miscendo humana diuinis primordia urbium augustiora faciat; et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano ut cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiuntur.*
- (8) *sed haec et his similia utcumque animaduersa aut existimata erunt haud in magno equidem ponam discrimine:*
- (9) *ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae uita, qui mores fuerint, per quos uiros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina uelut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora quibus nec uitia nostra nec remedia pati possumus peruentum est.*
- (10) *hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum. omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias, inde foedum inceptu foedum exitu quod uites.*
- (11) *ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam [ciuitatem] tam serae auaritia luxuriaque immigrauerint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat:*
- (12) *nuper diuitiae auaritiam et abundantes uoluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere. sed querellae, ne tum quidem gratae futurae cum forsitan necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae rei absint:*
- (13) *cum bonis potius omnibus uotisque et precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successus prosperos darent.*

2. Der Raub der Sabinerinnen

a) Livius 1,9-10

1,9 (1) Iam res Romana adeo erat ualida ut cuilibet finitimarum ciuitatum bello par esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat, quippe quibus nec domi spes prolis nec cum finitimiis conubia essent.

(2) tum ex consilio patrum Romulus legatos circa uicinas gentes misit qui societatem conubiumque nouo populo peterent: (3) urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci; dein, quas sua uirtus ac di iuuent, magnas opes sibi magnumque nomen facere; (4) satis scire, origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam uirtutem; proinde ne grauarentur homines cum hominibus sanguinem ac genus miscere.

(5) nusquam benigne legatio audita est: adeo simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. (6) ac plerisque rogitantibus dimissi ecquod feminis quoque asylum aperuissent; id enim demum compar conubium fore. aegre id Romana pubes passa et haud dubie ad uim spectare res coepit. cui tempus locumque aptum ut daret Romulus, aegritudinem animi dissimulans ludos ex industria parat Neptuno equestri sollemnes; (7) Consualia uocat. indici deinde finitimiis spectaculum iubet; quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant ut rem claram exspectatamque facerent. (8) multi mortales conuenere, studio etiam uidendae nouae urbis, maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; (9) etiam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus uenit. inuitati hospitaliter per domos cum situm moeniaque et frequentem tectis urbem uidissent, mirantur tam breui rem Romanam creuisse. (10) ubi spectaculi tempus uenit deditaeque eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta uis signoque dato iuuentus Romana ad rapiendas uirgines discurrit. (11) magna pars forte in quem quaeque inciderat raptae: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines quibus datum negotium erat domos deferebant. (12) unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassi cuiusdam raptam ferunt multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem ne quis uiolaret Thalassio ferri clamitatum; inde nuptiale hanc uocem factam. (13) turbato per metum ludicro maesti parentes uirginum profugiunt, incusantes uiolati hospitii foedus deumque inuocantes cuius ad sollemne ludosque per fas ac fidem decepti uenissent. (14) nec raptis aut spes de se melior aut indignatio est minor. sed ipse Romulus circumibat docebatque patrum id superbia factum qui conubium finitimiis negassent; illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium ciuitatisque et quo nihil carius humano generi sit liberum fore; (15) mollirent modo iras et, quibus fors corpora dedisset, darent animos; saepe ex iniuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras uiris quod adnisurus pro se quisque sit ut, cum suam uicem functus officio sit, parentium etiam patriaeque expleat desiderium. (16) accedebant blanditiae uirorum, factum purgantium cupiditate atque amore, quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.

1,9,10 (1) iam admodum mitigati animi raptis erant; at raptarum parentes tum maxime sordida ueste lacrimisque et querellis ciuitates concitabant. nec domi tantum indignationes continebant sed congregabantur undique ad T. Tatium regem Sabinorum, et legationes eo quod maximum Tati nomen in iis regionibus erat conueniebant. (2) Caeninenses Crustumini et Antemnates erant ad quos eius iniuria pars pertinebat. lente agere his Tatius Sabinique uisi sunt: ipsi inter se tres populi communiter bellum parant. (3) ne Crustumini quidem atque Antemnates pro ardore iraque Caeninensium satis se impigre mouent; ita per se ipsum nomen Caeninum in agrum Romanum impetum facit. (4) sed effuse uastantibus fit obuius cum exercitu Romulus leuique certamine docet uanam sine uiribus iram esse. exercitum fundit fugatque, fusum persequitur: regem in proelio obruncat et spoliat: duce hostium occiso urbem primo impetu capit. (5) inde exercitu uictore reducto, ipse cum factis uir magnificus tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium escendit; ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designauit templo Iouis fines cognomenque addidit deo: (6) 'Iuppiter Feretri' inquit, 'haec tibi uictor Romulus rex regia arma fero, templumque his regionibus quas modo animo metatus sum dedico, sedem opimis spoliis quae regibus ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteri ferent.'

(7) haec templi est origo quod primum omnium Romae sacratum est. ita deinde dis uisum nec inritam conditoris templi uocem esse qua laturos eo spolia posteros nuncupauit nec multitudine

compotum eius doni uolgari laudem. bina postea, inter tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia: adeo rara eius fortuna decoris fuit.

3. Das exemplum der Lucretia bei Livius

Liv. 1,57-59

1,57, (1) Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in ea aetate, diuitiis praeponens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delenire popularium animos studebat, (2) praeter aliam superbiam regno infestos etiam quod se in fabrorum ministeriis ac seruili tam diu habitos opere ab rege indignabantur. (3) temptata res est, si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. (4) in his statuus, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus; (5) regii quidem iuuenes interdum otium conuiuus comisationibusque inter se terebant. (6) forte potentibus his apud **Sex. Tarquinium**, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, Egeri filius, incidit de uxoribus mentio. (7) suam quisque laudare miris modis; inde certamine accenso Collatinus negat uerbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri quantum ceteris praestet **Lucretia** sua. 'quin, si uigor iuuentae inest, concendimus equos inuisimisque praesentes nostrarum ingenia? id cuique spectatissimum sit quod necopinato uiri aduentu occurrerit oculis.' (8) incaluerant uino; 'age sane' omnes; citatis equis auolant Romam. quo cum primis se intendentibus tenebris peruenissent, (9) pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in conuiuio luxuque cum aequalibus uiderant tempus terentes sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inueniunt.

(10) muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. adueniens uir Tarquinii excepti benigne; uictor maritus comiter inuitat regios iuuenes. **ibi Sex. Tarquinium mala libido Lucretiae per uim stuprandae capit;** cum forma tum spectata castitas incitat. (11) et tum quidem ab nocturno iuuenali ludo in castra redeunt.

58 (1) Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino cum comite uno Collatiam uenit. (2) ubi exceptus benigne ab ignaris consilii cum post cenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam satis tuta circa sopitique omnes uidebantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam uenit sinistraque manu mulieris pectore oppresso 'tace, Lucretia' inquit; 'Sex. Tarquinius sum; ferrum in manu est; moriere, si emiseris uocem.' (3) cum pauida ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem uideret, tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, uersare in omnes partes muliebrem animum. (4) ubi obstinatam uidebat et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum serum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. (5) quo terrore cum uicisset obstinatam pudicitiam uelut <ui> uictrix libido, projectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romam eundem ad patrem Ardeamque ad uirum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis ueniant; ita facto maturatoque opus esse; rem atrocem incidisse.

(6) Sp. Lucretius cum P. Ualerio Uolesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto uenit, cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conuentus. Lucretiam sedentem maestam in cubiculo inueniunt. (7) aduentu suorum lacrimae obortae, quaerentique uiro 'satin salue?' 'minime' inquit; 'quid enim salui est mulieri amissa pudicitia? uestigia uiri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus est tantum uiolatum, animus insons; mors testis erit. sed date dexteras fidemque haud impune adultero fore. (8) Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite priore nocte ui armatus mihi sibique, si uos uiri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium.' (9) dant ordine omnes fidem; consolantur aegram animi auertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde consilium afuerit culpam abesse. (10) 'uos' inquit 'uideritis quid illi debeatur: ego me etsi peccato absoluo, suppicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo uiuet.' (11) cultrum, quem sub ueste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in uolnus moribunda cecidit. (12) conclamat uir paterque;

59 (1) Brutus illis luctu occupatis cultrum ex uolnere Lucretiae extractum, manantem cruento prae se tenens, 'per hunc' inquit 'castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, uosque, di, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro igni quacumque dehinc ui possim executurum, nec illos nec alium quemquam regnare Romae passurum.' (2) cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Ualerio, stupentibus miraculo rei, unde nouum in Bruti pectore ingenium. ut praeceptum erat iurant; totique ab luctu uersi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum uocantem sequuntur ducem.

(3) elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei nouae atque indignitate homines. (4) pro se quisque scelus regium ac uim queruntur. mouet cum patris maestitia, tum Brutus castigator lacrimarum atque inertium querellarum auctororque quod uiros, quod Romanos deceret, arma capiendo aduersus hostilia ausos. (5) ferocissimus quisque iuuenum cum armis uoluntarius adest; sequitur et cetera iuuentus. inde patre praeside relicto Collatiae [ad portas] custodibusque datis ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri armati duce Bruto Romam profecti.

(6) ubi eo uentum est, quacumque incedit armata multitudo, pauorem ac tumultum facit; rursus ubi anteire primores ciuitatis uident, quidquid sit haud temere esse rentur. (7) nec minorem motum animorum Romae tam

atrox res facit quam Collatiae fecerat; ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur. quo simul uentum est, praeco ad tribunum celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum aduocauit.

(8) ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingeniique quod simulatum ad eam diem fuerat, de ui ac libidine Sex. Tarquini, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitate Tricipitini cui morte filiae causa mortis indignior ac miserabilior esset. (9) addita superbia ipsius regis miseriaeque et labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas demersae; Romanos homines, uictores omnium circa populorum, opifex ac lapicidas pro bellatoribus factos. (10) indigna Ser. Tulli regis memorata caedes et inuecta corpori patris nefando uehiculo filia, inuocatique ultores parentum di. (11) his atrocioribusque, credo, aliis, quae praeiens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subicit, memoratis incensam multitudinem perpulit ut imperium regi abrogaret exsulesque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis.

(12) ipse iunioribus qui ultro nomina dabant lectis armatisque, ad concitandum inde aduersus regem exercitum Ardeam in castra est profectus: imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis iam ante ab rege instituto, relinquit. (13) inter hunc tumultum Tullia domo profugit exsecrantibus quacumque incedebat inuocantibusque parentum furias uiris mulieribusque.

4. Das Exemplum des Horatius Cocles (Liv. 2,10,1-13)

1	<i>Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant; urbem ipsam saepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta: pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles; id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit.</i>	hostes hier: die Etrusker pro se quisque so gut jeder konnte demigrare wegziehen saepire praesidiis durch (stärkere) Posten schützen alia alia die einen Teile der Stadt ... die anderen Tiberi obiecto durch den dazwischen fließenden Tiber pons sublicius Pfahlbrücke Horatius Cocles s. EV munimentum Schutz Romanus römisch positus forte in statione pontis der gerade bei der Brückenwache stand repentinus plötzlich Ianiculum s. EV citatus angestachelt, voller Energie decurrere de-currere trepidus ängstlich sui seine Leute ordines relinquere Reih und Glied verlassen, d. h. desertieren reprehensare immer wieder zurückhalten obsistere sich in den Weg stellen obtestari als Zeugen feierlich anrufen testari beteuern neququam vergeblich pontem a tergo relinquere die Brücke ungebrochen hinter sich stehen lassen in Palatio auf dem Palatin; s. EV Capitolio auf dem Kapitol; s. EV Ianiculum s. EV praedicere einschärfen, befehlen interrumpere zerstören quantum hier: soweit corpore uno hier: von einem einzigen Mann in primum aditum pontis ganz vor bis zum Anfang der Brücke obvertere comminus ad ineundum proelium arma seine Waffen zum Nahkampf bereithalten ipso miraculo audaciae schon durch seine erstaunliche Tapferkeit obstupefacere betroffen haben, erstarren lassen aliquamdiu eine Zeit lang pudor hier: Ehrgefühl
10	<i>Qui positus forte in statione pontis cum captum repentina impetu Ianiculum atque inde citatos decurrere hostes vidisset trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens obtestansque deum et hominum fidem testabatur neququam deserto praesidio eos fugere; si transitum ponte a tergo reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque quam in Ianiculo fore.</i>	
15		
20		
25		
30	<i>Itaque monere, praedicere ut pontem ferro, igni, quacumque vi possint, interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore uno posset obsisti, excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis, insignisque inter conspecta cedentium pugna terga obversis comminus ad ineundum proelium armis, ipso miraculo audaciae obstupefecit hostes. [...]</i>	
35		
	<i>Cunctati aliquamdiu sunt, dum alius alium, ut proelium incipient, circumspectant; pudor deinde</i>	

40	<i>commovit aciem, et clamore sublato undique in unum hostem tela coniciunt.</i> <i>Quae cum in obiecto cuncta scuto haesissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu, iam impetu conabantur detrudere virum, cum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum, alacritate perfecti operis sublatus, pavore subito impetum sustinuit.</i>	commovere aciem hier: Bewegung in die Soldaten bringen obiectus vorgehalten haerere hängen bleiben obstinatus hartnäckig detrudere hinabstoßen impetum sustinere den Angriff zum Stehen bringen sancte voll erfürchtiger Scheu
45	<i>Tum Cocles „Tiberine pater“ inquit, „te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.“</i>	
50	<i>Ita sic armatus in Tiberim desiluit multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famae habituram ad posteros quam fidei.</i>	armatus bewaffnet comitium Komitium, Platz für Volksversammlungen; s. EV
55	<i>Grata erga tantam virtutem civitas fuit; statua in comitio posita; agri quantum uno die circumaravit, datum.</i> <i>Privata quoque inter publicos honores studia eminebant;</i>	circumarare mit einer Ackerfurche umziehen eminere hervortreten in magna inopia trotz großer Not fraudare se victu hier: vom Lebensunterhalt etwas abziehen, abzweigen
60	<i>nam in magna inopia pro domesticis copiis unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.</i>	

5. Das Exemplum des Coriolanus und seiner Familie (Liv. 2,39,8-2,40,12)

(2,39,8) <i>id modo non conueniebat quod senatus consulesque nusquam alibi spem quam in armis ponebant, plebes omnia quam bellum malebat.</i> (9) <i>Sp. Nautius iam et Sex. Furius consules erant.</i> <i>eos recensentes legiones, praesidia per muros aliaque in quibus stationes uigiliasque esse placuerat loca distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit, deinde uocare senatum, referre de legatis ad Cn. Marcium mittendis coegit.</i> (10) <i>acceperunt relationem patres, postquam apparuit labare plebis animos; missique de pace ad Marcium oratores atrox responsum rettulerunt:</i> (11) <i>si Uolscis ager redderetur, posse agi de pace: si praeda belli per otium frui uelint, memorem se et ciuium iniuria et hospitum beneficii adnisurum, ut appareat exsilio sibi irritatos, non fractos animos esse.</i> (12) <i>iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra. sacerdotes quoque suis insignibus uelatos isse supplices ad castra hostium traditum est; nihil magis quam legatos flexisse animum.</i> (2,40, 1) <i>tum matronae ad Ueturiam matrem Coriolani Uolum-niamque uxorem frequentes coeunt. id publicum consilium an muliebris timor fuerit, parum inuenio:</i> (2) <i>peruicere certe, ut et Ueturia, magno natu mulier, et Uolumnia duos paruos ex Marcio ferens filios secum in castra hostium irent et, quoniam armis uiri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrimisque defenderent.</i> (3) <i>ubi ad castra uentum est nuntiatumque Coriolano est adesse ingens mulierum agmen, ut qui nec publica maiestate in legatis nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior aduersus lacrimas muliebres erat; (4) dein familiarium quidam qui insignem maestitia inter ceteras cognouerat Ueturiam, inter nurum nepotesque stantem, 'nisi me frustrantur' inquit, 'oculi, mater tibi coniunxque et liberi adsunt.' (5) Coriolanus prope ut</i>
--

<p><i>amens consternatus ab sede sua cum ferret matri obuiae complexum, mulier in iram ex precibus uersa 'sine, priusquam complexum accipio, sciam' inquit, 'ad hostem an ad filium uenerim, captiuia materne in castris tuis sim.</i></p> <p>(6) <i>in hoc me longa uita et infelix senecta traxit ut exsulem te deinde hostem uiderem? potuisti populari hanc terram quae te genuit atque aluit?</i></p> <p>(7) <i>non tibi, quamuis infesto animo et minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater coniunx liberique?</i></p> <p>(8) <i>ergo ego nisi peperisset, Roma non oppugnaretur; nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. sed ego mihi miserius nihil iam pati nec tibi turpius <us>quam possum, nec ut sum miserrima, diu futura sum:</i></p> <p>(9) <i>de his uideris, quos, si pergis, aut immatura mors aut longa seruitus manet.' uxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ob omni turba mulierum ortus et comploratio sui patriaeque fregere tandem uirum.</i></p> <p>(10) <i>complexus inde suos dimittit: ipse retro ab urbe castra mouit. abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum perisse tradunt, alii alio leto. apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem uixisse eundem inuenio;</i></p> <p>(11) <i>refert certe hanc saepe eum exacta aetate usurpasse uocem multo miserius seni exsilium esse. non inuiderunt laude sua mulieribus uiri Romani – adeo sine obtrectatione gloriae alienae uiuebatur –</i></p> <p>(12) <i>monumento quoque quod esset, templum Fortunae muliebri aedificatum dedicatumque est.</i></p>	
--	--

6. Das *exemplum* der Virginia – eine Dublette zu Lucretia?

Livius 3,44-48

<p>(3,44) (1) <i>sequitur aliud in urbe nefas, ab libidine ortum, haud minus foedo euentu quam quod per stuprum caedemque Lucretiae urbe regnoque Tarquinios expulerat, ut non finis solum idem decemuiris qui regibus sed causa etiam eadem imperii amittendi esset.</i></p> <p>(2) <i>Ap. Claudium uirginis plebeiae stuprandae libido cepit. pater uirginis, L. Uerginius, honestum ordinem in Algido ducebat, uir exempli recti domi militiaeque. perinde uxor instituta fuerat liberique instituebantur.</i></p> <p>(3) <i>desponderat filiam L. Icilio tribunicio, uiro acri et pro causa plebis expertae uirtutis.</i></p> <p>(4) <i>hanc uirginem adultam forma excellentem Appius amore amens pretio ac spe perlicere adortus, postquam omnia pudore saepa animaduerterat, ad crudelem superbamque uim animum conuertit.</i></p> <p>(5) <i>M. Claudio clienti negotium dedit, ut uirginem in seruitutem adsereret neque cederet secundum libertatem postulantibus uindicias, quod pater puellae abesset locum iniuriae esse ratus.</i></p> <p>(6) <i>uirgini uenienti in forum – ibi namque in tabernaculis litterarum ludi erant – minister decemuiris libidinis manum iniecit, serua sua natam seruamque appellans, sequique se iubebat: cunctantem ui abstracturum.</i></p> <p>(7) <i>pauida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis fit concursus; Uergini patris sponsaque Icili populare nomen celebrabatur. notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirgini conciliat.</i></p> <p>(8) <i>iam a ui tuta erat, cum adsertor nihil opus esse multitudine concitata ait; se iure grassari, non ui. uocat puellam in ius.</i></p> <p>(9) <i>auctoribus qui aderant ut sequerentur, ad tribunal Appi peruentum est. notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit: puellam domi sua natam furtoque inde in domum Uergini translatam suppositam ei esse;</i></p> <p>(10) <i>id se indicio compertum adferre probaturumque uel ipso Uerginio iudice, ad quem maior pars iniuriae eius pertineat; interim dominum sequi ancillam aequum esse.</i></p> <p>(11) <i>aduocati puellae, cum Uerginium rei publicae causa dixissent abesse, biduo adfuturum si nuntiatum ei sit, iniquum esse absentem de liberis dimicare, (12) postulant ut rem integrum in</i></p>	
--	--

patri aduentum differat, lege ab ipso lata uindicias det secundum libertatem, neu patiatur uirginem adultam famae prius quam libertatis periculum adire.

(45,1) *Appius decreto praefatur quam libertati fauerit eam ipsam legem declarare quam Uergini amici postulationi suae praetendant;*

(2) *ceterum ita in ea firmum libertati fore praesidium, si nec causis nec personis uariet. in iis enim qui adserantur in libertatem, quia quiuis lege agere possit, id iuris esse: in ea quae in patris manu sit, neminem esse alium cui dominus possessione cedat.*

(3) *placere itaque patrem arcessiri; interea iuris sui iacturam adsertorem non facere quin ducat puellam sistendamque in aduentum eius qui pater dicatur promittat.*

(4) *aduersus iniuriam decreti cum multi magis fremerent quam quisquam unus recusare auderet, P. Numitorius puellae auus et sponsus Icilius interueniunt;*

(5) *dataque inter turbam uia, cum multitudo Icili maxime interuentu resisti posse Appio crederet, lictor decresse ait uociferantemque Iciliu submouet. placidum quoque ingenium tam atrox iniuria accendisset.*

(6) *'ferro hinc tibi submouendus sum, Appi' inquit, 'ut tacitum feras quod celari uis. uirginem ego hanc sum ducturus nuptamque pudicam habiturus.*

(7) *proinde omnes collegarum quoque lictores conuoca; expediri uirgas et secures iube; non manebit extra domum patris sponsa Icili.*

(8) *non si tribunicium auxilium et prouocationem plebi Romanae, duas arces libertatis tuenda, ademistis, ideo in liberos quoque nostros coniugesque regnum uestrae libidini datum est.*

(9) *saeuite in tergum et in ceruices nostras: pudicitia saltem in tuto sit. huic si uis adferetur, ego praesentium Quiritium pro sponsa, Uerginius militum pro unica filia, omnes deorum hominumque implorabimus fidem, neque tu istud unquam decretum sine caede nostra referes.*

(10) *postulo Appi, etiam atque etiam consideres quo progrediare.*

(11) *Uerginius uiderit de filia ubi uenerit quid agat; hoc tantum sciat sibi si huius uindiciis cesserit condicionem filiae quaerendam esse. me uindicantem sponsam in libertatem uita citius deseret quam fides.'*

(46,1) *concitata multitudo erat certamenque instare uidebatur. lictores Iciliu circumsteterant;*

(2) *nec ultra minas tamen processum est, cum Appius non Uerginiam defendi ab Icilio, sed inquietum hominem et tribunatum etiam nunc spirantem locum seditionis quaerere diceret. non praebiturum se illi eo die materiam, (3) sed, ut iam sciret non id petulantiae suaee sed Uerginio absenti et patrio nomini et libertati datum, ius eo die se non dicturum neque decretum interpositurum: a M. Claudio petiturum ut decederet iure suo uindicarique puellam in posterum diem pateretur;*

(4) *quod nisi pater postero die adfuisset, denuntiare se Icilio similibusque Icili neque legi suaee latorem neque decemuiro constantiam defore; nec se utique collegarum lictores conuocaturum ad coercendos seditionis auctores: contentum se suis lictoribus fore.*

(5) *cum dilatum tempus iniuriae esset secessissentque aduocati puellae, placuit omnium primum fratrem Icili filiumque Numitori, impigros iuuenes, pergere inde recta ad portam, et quantum adcelerari posset Uerginium acciri e castris;*

(6) *in eo uerti puellae salutem, si postero die uindex iniuriae ad tempus praesto esset. iussi pergent citatisque equis nuntium ad patrem perforunt.*

(7) *cum instaret adsertor puellae ut uindicaret sponsoresque daret, atque id ipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens dum praeciperent iter nuntii missi in castra, manus tollere undique multitudo et se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere.*

(8) *atque ille lacrimabundus 'gratum est' inquit; 'crastina die uestra opera utar; sponsorum nunc satis est.'*

(9) *ita uindicatur Uerginia spondentibus propinquis. Appius paulisper moratus ne eius rei causa sedisse uideretur, postquam omissis rebus aliis prae cura unius nemo adibat, domum se recepit collegisque in castra scribit, ne Uerginio commeatum dent atque etiam in custodia habeant.*

(10) *improbum consilium serum, ut debuit, fuit et iam commeatu sumpto profectus Uerginius prima uigilia erat, cum postero die mane de retinendo eo nequiquam litterae redduntur.*

(47,1) *at in urbe prima luce cum ciuitas in foro exspectatione erecta staret, Uerginius sordidatus filiam secum obsoleta ueste comitantibus aliquot matronis cum ingenti aduocatione in forum deducit.*

(2) *circumire ibi et prensare homines coepit et non orare solum precariam opem, sed pro debita*

	<p><i>petere: se pro liberis eorum ac coniugibus cottidie in acie stare, nec alium uirum esse cuius strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent: quid prodesse si, incolumi urbe, quae capta ultima timeantur liberis suis sint patienda?</i></p> <p>(3) <i>haec prope contionabundus circumibat homines. similia his ab Icilio iactabantur.</i></p> <p>(4) <i>comitatus muliebris plus tacito fletu quam ulla uox mouebat. aduersus quae omnia obstinato animo Appius – tanta uis amentiae uerius quam amoris mentem turbauerat – in tribunal escendit, et ulro querente pauca petitore quod ius sibi pridie per ambitionem dictum non esset, priusquam aut ille postulatum perageret aut Uerginio respondendi daretur locus, Appius interfatur.</i></p> <p>(5) <i>quem decreto sermonem praetenderit, forsan aliquem uerum auctores antiqui tradiderint: quia nusquam ullum in tanta foeditate decreti ueri similem inuenio, id quod constat nudum uidetur proponendum, decresse uindicias secundum seruitutem.</i></p> <p>(6) <i>primo stupor omnes admiratione rei tam atrociis defixit; silentium inde aliquamdiu tenuit. dein cum M. Claudius, circumstantibus matronis, iret ad prehendendam uirginem, lamentabilisque eum mulierum comploratio exceperat, (7) Uerginius intentans in Appium manus, 'Icilio' inquit, 'Appi, non tibi filiam despondi et ad nuptias, non ad stuprum educaui. placet pecudum ferarumque ritu promisce in concubitus ruere? passurine haec isti sint nescio:</i></p> <p>(8) <i>non spero esse passuros illos quiarma habent.' cum repelleretur assertor uirginis a globo mulierum circumstantiumque aduocatorum, silentium factum per praecomenem.</i></p> <p>(48,1) <i>decemuir alienatus ad libidinem animo negat ex hesterno tantum conuicio Icili uiolentiaque Uergini, cuius testem populum Romanum habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere nocte tota coetus in urbe factos esse ad mouendam seditionem.</i></p> <p>(2) <i>itaque se haud inscum eius dimicationis cum armatis descendisse, non ut quemquam quietum uiolaret, sed ut turbantes ciuitatis otium pro maiestate imperii coerceret.</i></p> <p>(3) <i>'proinde quiesce erit melius. i,' inquit, 'lictor, submoue turbam et da uiam domino ad prehendendum mancipium.' cum haec intonuisse plenus irae, multitudo ipsa se sua sponte dimouit desertaque praeda iniuriae puella stabat.</i></p> <p>(4) <i>tum Uerginius ubi nihil usquam auxillii uidit, 'quaeso' inquit, 'Appi, primum ignoscere patrio dolori, si quo inclemens in te sum inuectus; deinde sinas hic coram uirgine nutricem percontari quid hoc rei sit, ut si falso pater dictus sum aequiore hinc animo discedam.'</i></p> <p>(5) <i>data uenia seducit filiam ac nutricem prope Cloacinae ad tabernas, quibus nunc Nouis est nomen, atque ibi ab lanio cultro arrepto, 'hoc te uno quo possum' ait, 'modo, filia, in libertatem uindico.' pectus deinde puellae transfigit, respectansque ad tribunal 'te' inquit, 'Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro.'</i></p> <p>(6) <i>clamore ad tam atrox facinus orto excitus Appius comprehendendi Uerginium iubet. ille ferro quacumque ibat uiam facere, donec multitudine etiam prosequentium tuente ad portam perrexit.</i></p> <p>(7) <i>Icilius Numitoriusque exsangue corpus sublatum ostentant populo; scelus Appi, puellae infelicem formam, necessitatem patris deplorant.</i></p> <p>(8) <i>sequentes clamitant matronae, eamne liberorum procreandorum condicionem, ea pudicitiae praemia esse? cetera, quae in tali re muliebris dolor, quo est maestior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subicit.</i></p> <p>(9) <i>uirorum et maxime Icili uox tota tribuniciae potestatis ac prouocationis ad populum ereptae publicarumque indignationum erat.</i></p> <p>(49,1) <i>concitatur multitudo partim atrocitate sceleris partim spe per occasionem repetenda libertatis.</i></p>
--	---

7. Textbeispiel: 5,47-48: M. Manlius, die Gänse und der Abzug der Gallier

(5,47,1) *dum haec Ueiis agebantur, interim arx Romae Capitoliumque in ingenti periculo fuit.*

(2) *namque Galli, seu uestigio notato humano qua nuntius a Ueiis peruererat seu sua sponte animaduerso ad Carmentis saxo in adscensum aequo, nocte sublustri cum primo inermem qui temptaret uiam praemisissent, tradentes inde arma ubi quid iniqui esset, alterni innixi subleuantesque in uicem et trahentes alii alios, prout postularet locus, (3) tanto silentio in summum euasere, ut non custodes*

solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent.

(4) *anseres non fefellere, quibus sacris Iunonis in summa inopia cibi tamen abstinebatur. quae res saluti fuit; namque clangore eorum alarumque crepitum excitus M. Manlius qui triennio ante consul fuerat, uir bello egregius, armis arreptis simul ad arma ceteros ciens uadit et dum ceteri trepidant, Gallum qui iam in summo constiterat umbone ictum deturbat.*

(5) *cuius casus prolapsi cum proximos sterneret, trepidantes alios armisque omissis saxa quibus adhaerebant manibus amplexos trucidat. iamque et alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinaque tota prolapsa acies in paeceps deferri.*

(6) *sedato deinde tumultu reliquum noctis, quantum in turbatis mentibus poterat cum praeteritum quoque periculum sollicitaret, quieti datum est.*

(7) *luce orta uocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, cum et recte et perperam facto pretium deberetur, Manlius primum ob uirtutem laudatus donatusque non ab tribunis solum militum sed consensu etiam militari;*

(8) *cui uniuersi selibras farris et quartarios uini ad aedes eius quae in arce erant contulerunt, – rem dictu paruam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis, cum se quisque uictu suo fraudans detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius uiri conferret.*

(9) *tum uigiles eius loci qua fefellerat adscendens hostis citati; et cum in omnes more militari se animaduersurum Q. Sulpicius tribunus militum pronuntiasset, (10) consentiente clamore militum in unum uigilem conientium culpam deterritus, a ceteris abstinuit, reum haud dubium eius noxae adprobantibus cunctis de saxo deiecit.*

(11) *inde intentiores utrumque custodiae esse, et apud Gallos, quia uolgatum erat inter Ueiros Romamque nuntios commeare, et apud Romanos ab nocturni periculi memoria.*

(48,1) *sed ante omnia obsidionis bellique mala fames utrumque exercitum urgebat, (2) Gallos pestilentia etiam, cum loco iacente inter tumulos castra habentes, tum ab incendiis torrido et uaporis pleno cineremque non puluerem modo ferente cum quid uenti motum esset.*

(3) *quorum intolerantissima gens umorique ac frigori adsueta cum aestu et angore uexati uolgatis uelut in pecua morbis morerentur, iam pigritia singulos sepe liendi promisce aceruatos cumulos hominum urebant, bustorumque inde Gallicorum nomine insignem locum fecere.*

(4) *indutiae deinde cum Romanis factae et conloquia permissu imperatorum habita; in quibus cum identidem Galli famem obicerent eaque necessitate ad deditiōnem uocarent, dicitur auertendae eius opinionis causa multis locis panis de Capitolio iactatus esse in hostium stationes.*

(5) *sed iam neque dissimulari neque ferri ultra fames poterat.*

itaque dum dictator dilectum per se Ardeae habet, magistrum equitum L. Ualerium a Ueiis adducere exercitum iubet, parat instruitque quibus haud impar adoriatur hostes, (6) interim Capitolinus exercitus, stationibus uigiliis fessus, superatis tamen humanis omnibus malis cum famem unam natura uinci non sineret, diem de die prospectans ecquod auxilium ab dictatore appareret, (7) postremo spe quoque iam non solum cibo deficiente et cum stationes procederent prope obruentibus infirmum corpus armis, uel dedi uel redimi se quacumque pactione possint iussit, iactantibus non obscure Gallis haud magna mercede se adduci posse ut obsidionem relinquant.

(8) *tum senatus habitus tribunisque militum negotium datum ut paciscerentur. inde inter Q. Sulpicium tribunum militum et Brennum regulum Gallorum conloquio transacta res est, et mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum.*

(9) *rei foedissimae per se adiecta indignitas est: pondera ab Gallis allata iniqua et tribuno recusante additus ab insolente Gallo ponderi gladius, auditaque intoleranda Romanis uox, uae uictis.*

8. Livius' kontrafaktische Reflexionen einer *historia in bivio*: Der Alexander-Exkurs (9,16,19; 9,17-19)

(9,16,19) *haud dubie illa aetate, qua nulla uirtutum feracior fuit, nemo unus erat uir quo magis innixa res Romana staret. quin eum parem destinant animis magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam uertisset.*

(9,17,1) *nihil minus quae situm a principio huius operis uideri potest quam ut plus iusto ab rerum ordine declinarem uarietibusque distinguendo opere et legentibus uelut deuerticula amoena et requiem animo meo quaererem; (2) tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitus cogitationibus uolutaui animum, eas euocat in medium, ut quaerere libeat quinam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.*

(3) *plurimum in bello pollere uidentur militum copia et uirtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana maxime in res bellicas potens; (4) ea et singula intuenti et uniuersa sicut ab aliis regibus gentibusque, ita ab hoc quoque facile praestant inuictum Romanum imperium.*

(5) *iam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum; sed clariorem tamen eum facit quod unus fuit, quod adulescens in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus, decessit.*

(6) *ut alios reges claros ducesque omittam, magna exempla casuum humanorum, Cyrum, quem maxime Graeci laudibus celebrant, quid nisi longa uita, sicut Magnum modo Pompeium, uertenti praebuit fortunae? (7) recenseam duces Romanos, nec omnes omnium aetatium sed ipsos eos cum quibus consulibus aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum, (8) M. Ualerium Coruum, C. Marcium Rutulum, C. Sulpicium, T. Manlium Torquatum, Q. Publilium Philonem, L. Papirium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Uolumnium, M'. Curium?*

(9) *deinceps ingentes sequuntur uiri, si Punicum Romano praeuertisset bellum seniorque in Italiam traieciisset. (10) horum in quolibet cum indoles eadem quae in Alexandro erat animi ingeniique, tum disciplina militaris, iam inde ab initiis urbis tradita per manus, in artis perpetuis praecepsis ordinatae modum uenerat.*

(11) *ita reges gesserant bella, ita deinde exactores regum Iunii Ualeriique, ita deinceps Fabii, Quintii, Cornelii, ita Furius Camillus, quem iuuenes ii quibus cum Alexandro dimicandum erat senem uiderant.*

(12) *militaris opera pugnando obeunti Alexandro – nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt – cessisset uidelicet in acie oblatus par Manlius Torquatus aut Ualerius Coruus, insignes ante milites quam duces, (13) cessissent Decii, deuotis corporibus in hostem ruentes, cessisset Papirius Cursor illo corporis robore, illo animi.*

(14) *uictus esset consiliis iuuenis unius, ne singulos nominem, senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit unus ueram speciem Romani senatus cepit. (15) id uero erat periculum, ne sollertiauus quam quilibet unus ex his quos nominaui castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis praecaueret, tempus pugnae deligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret. (16) non cum Dareo rem esse dixisset, quem mulierum ac spadonum agmen trahentem inter purpuram atque aurum oneratum fortunae apparatibus sua, praedam uerius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus uana contemnere, incruentus deuicit. (17) longe alias Italiae quam Indiae, per quam temulento agmine comisabundus incessit, uisus illi habitus esset, saltus Apuliae ac montes Lucanos cernenti et uestigia recentiae domesticae cladis, ubi auunculus eius nuper, Epiri rex Alexander, absumptus erat.*

(9,18,1) et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. (2) qui si ex habitu nouae fortunae nouique, ut ita dicam, ingenii quod sibi uictor induerat spectetur, (3) Dareo magis similis quam Alejandro in Italianam uenisset et exercitum Macedoniae oblitum degenerantemque iam in Persarum mores adduxisset. (4) referre in tanto rege piget superbam mutationem uestis et desideratas humi iacentium adulaciones, etiam uictis Macedonibus graues nedum uictoribus, et foeda supplicia et inter uinum et epulas caedes amicorum et uanitatem ementiendae stirpis.

(5) quid si uini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac praeferuida ira? – nec quicquam dubium inter scriptores referto – nullane haec damna imperatoriis uirtutibus ducimus? (6) id uero periculum erat, quod leuissimi ex Graecis qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriae fauent dictitare solent, ne maiestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Romanus; (7) et aduersus quem Athenis, in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, contionari libere ausi sunt homines, id quod ex monumentis orationum patet, aduersus eum nemo ex tot proceribus Romanis uocem liberam missurus fuerit.

(8) quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo; unius tamen ea magnitudo hominis erit collecta paulo plus decem annorum felicitate; (9) quam qui eo extollunt quod populus Romanus etsi nullo bello multis tamen proeliis uictus sit, Alejandro nullius pugnae non secunda fortuna fuerit, non intellegunt se hominis res gestas, et eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum rebus conferre.

(10) miremur si, cum ex hac parte saecula plura numerentur quam ex illa anni, plus in tam longo spatio quam in aetate tredecim annorum fortuna uariauerit? (11) quin tu homines cum homine, [et] duces cum duce, fortunam cum fortuna confers? (12) quot Romanos duces nominem quibus nunquam aduersa fortuna pugnae fuit? paginas in annalibus magistratumque fastis percurrere licet consulum dictatorumque quorum nec uirtutis nec fortunae ullo die populum Romanum paenituit. (13) et quo sint mirabiliores quam Alexander aut quisquam rex, denos uicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit; (14) ab tribunis plebis dilectus impediti sunt; post tempus ad bella ierunt, ante tempus comitorum causa reuocati sunt; in ipso conatu rerum circumegit se annus; (15) collegae nunc temeritas, nunc prauitas impedimento aut damno fuit; male gestis rebus alterius successum est; tironem aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. (16) at hercule reges non liberi solum impedimentis omnibus sed domini rerum temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.

(17) inuictus ergo Alexander cum inuictis ducibus bella gessisset et eadem fortunae pignora in discrimen detulisset; (18) immo etiam eo plus periculi subisset quod Macedones unum Alexandrum habuissent, multis casibus non solum obnoxium sed etiam offerentem se, Romani multi fuissent Alexandro uel gloria uel rerum

magnitudine pares, quorum suo quisque fato sine publico discrimine uiueret morereturque.

(9,19,1) restat ut copiae copiis comparentur uel numero uel militum genere uel multitudine auxiliarum. censebantur eius aetatis lustris ducena quinquagena milia capitum. (2) itaque in omni defectione sociorum Latini nominis urbano prope dilectu decem scribebantur legiones; (3) quaterni quinque exercitus saepe per eos annos in Etruria, in Umbria Gallis hostibus adiunctis, in Samnio, in Lucanis gerebat bellum.

(4) Latium deinde omne cum Sabinis et Uolscis et Aequis et omni Campania et parte Umbriae Etruriaeque et Picentibus et Marsis Paelignisque ac Uestinis atque Apulis, adiuncta omni ora Graecorum inferi maris a Thuriis Neapolim et Cumas et inde Antio atque Ostiis tenus Samnites aut socios ualidos Romanis aut fractos bello inuenisset hostes.

(5) ipse traieceret mare cum ueteranis Macedonibus non plus triginta milibus hominum et quattuor milibus equitum, maxime Thessalorum; hoc enim roboris erat. Persas Indos aliasque si adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret.

(6) adde quod Romanis ad manum domi supplementum esset, Alejandro, quod postea Hannibali accidit, alieno in agro bellanti exercitus consenuisset. (7) arma clupeus sarisaeque illis; Romano

scutum, maius corpori tegumentum, et pilum, haud paulo quam hasta uehementius ictu missuque telum. (8) statarius uterque miles, ordines seruans; sed illa phalanx immobilis et unius generis, Romana acies distinctior, ex pluribus partibus constans, facilis partienti, quacumque opus esset, facilis iungenti. (9) iam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior? uno proelio uictus Alexander bello uictus esset: Romanum, quem Caudium, quem Cannae non fregerunt, quae fregisset acies?

(10) ne ille saepe, etiamsi prima prospere euenissent, Persas et Indos et imbellem Asiam quaesisset et cum feminis sibi bellum fuisse dixisset, (11) quod Epiri regem Alexandrum mortifero uolnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso iuuene cum sua conferentem.

(12) equidem cum per annos quattuor et uiginti primo Punico bello classibus certatum cum Poenis recordor, uix aetatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad unum bellum. (13) et forsitan, cum et foederibus uetustis iuncta res Punica Romanae esset et timor par aduersus communem hostem duas potentissimas armis uirisque urbes armaret, [et] simul Punico Romanoque obrutus bello esset.

(14) non quidem Alexandro duce nec integris Macedonum rebus sed experti tamen sunt Romani Macedonem hostem aduersus Antiochum Philippum Persen non modo cum clade ulla sed ne cum periculo quidem suo. (15) absit inuidia uerbo et ciuilia bella sileant: nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie, nunquam aequis, utique nunquam nostris locis laborauimus: (16) equitem, sagittas, saltus impeditos, auia commeatibus loca grauis armis miles timere potest. (17) mille acies grauiores quam Macedonum atque Alexandri auertit auertetque, modo sit perpetuus huius qua uiuimus pacis amor et ciuilis cura concordiae.